



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Dvb. 2. Vtrum malitia electionis & operis minuatur per bonam
intentionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

non potest impellere ad electionem pravi medij. 2. Quia prauum medium non potest prudenti iudicio cenferi conueniens ad finem honestum. Tertio denique, Quia sicut principium verum numquam vi sua est causa conclusionis falsa; sed si aliquando ex eo contingat falsum concludi, id prouenit ex aliquo alio principio ei coniuncto: ita numquam intentio bona vi sua est causa electionis prauae; sed si contingat aliquem in hoc honesto affectu eligere prauum medium, id non prouenit ex vi huius affectus, sed ex alio affectu ei coniuncto, qui latenter subrepat: qui enim ante honesto affectu voluit dare eleemosynam; priusquam eligat medium illicitum, mutat priorem intentionem, & incipit alia intentione eleemosynam velle; nempe, non quia ratio dicitur, sed quia consentaneum affectui naturali, vel quia speciem habet pietatis; & ex vi huius affectus facit imprudentem electionem. Vnde patet, hanc electionem non esse circumstantiam intentionis honestae, neque ex vi illius proficisci; ac proinde non efficere illam malam.

Dico Quarto, Proprie loquendo praua electio numquam inscit bonam intentionem. Sequitur ex dictis: Intentio enim natura sua est prior electione; vnde si ipsa ex se mala non sit, non potest effici mala per electionem superuenientem. Quare, etsi bonitas electionis pendeat ex bonitate intentionis, non tamen bonitas intentionis tollitur prauitate electionis.

D V B I V M. I I.

Virum malitia electionis & operis minuat per bonam intentionem?

88
Dua sententia extrema.

Sunt duae sententiae extremae: Prior est, Bonam intentionem omnino excusare peccatum. Ita sentit Auctor Operis imperfecti apud Chrysostr. tom. 3. hom. 19. in Matth. explicans illud: *Omnis arbor bona. Ex bono proposito, etiam quod videtur malum, bonum est; quia propositum bonum, malum opus excusat.* Et infra: *Sicut ergo bonorum hominum omnia opera etiam mala, bona sunt: ita malorum hominum omnia opera, etiam bona, mala sunt,* &c. Idem senserunt aliquot antiqui DD. speciatim de mendacio; vt Abbas Ioseph apud Calsianum, collatione 17. cap. 17. & seqq. vbi docet, *Vtendum mendacio tanquam helleboro; sicut enim vsus hellebori, dum necessitas postulat, est salutarius; extra vero necessitatem noxius; ita vsus mendacij in necessitate, si fiat bona intentione, esse bonum; extra necessitatem, malum.* Quam sententiam primus docuit Plato lib. 3. de Repub. dicens, *Deo quidem mendacium esse indecorum & inutile; hominibus tamen quandoque esse vtile, vt eo tanquam medicamento vtantur.* Ab hoc hausit Origenes in Epist. ad Gal. Ab Origene multi alij, praesertim Graeci, & D. Hieronymus in eadem Epistola (vt videtur) quod etiam ei impingit Augustinus Epist. 8. cap. 3.

Altera sententia est, bonam intentionem nullo modo minuere malitiam operis. Ita communiter tenent Doctores, ait Almainus tract. 1. Moral. cap. 12. dub. 2. quod intellige de Doctoribus Parisiensibus illius temporis.

Respondeo & Dico Primo, Certum est, non omne quod secundum se, seu solitarie malum est,

posse per bonam intentionem excusari, ita vt desinat esse peccatum.

Probatur Primo, Ex Scriptura, Ecclesiastici 34. *Immolantis ex iniquo, oblatio est maculata.* Et infra, *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris.* Hic videmus intentionem honoris diuini non excusare opus ex se prauum. Ad Rom. 3. dicit Apostolus iuste damnari eos qui dicunt, *Faciamus mala, vt eueniant bona.*

Secundo Probari potest ex Patribus, Qui docent ob nullam causam licitum esse mentiri. Citat hos Gratianus 22. quaest. 2. Idem multis argumentis ex Scriptura docet D. Augustinus duobus libris, altero de mendacio, altero contra mendacium. Libro de mendacio cap. 14. ponit octo gradus mendaciorum, & ostendit nullo horum licere vti. De quibus vide D. Thomam 2. 2. q. 110. art. 2. & 3.

Tertio, Probatur ratione, Quia multa sunt intrinseca mala (id est, in quorum conceptu formaliter includitur repugnantia cum recta ratione) atqui certum est haec nullo modo posse fieri bona; neque per necessitatem quantumuis grauem, vel per bonam intentionem posse excusari: ergo &c. Maior patet de fornicatione, adulterio, mendacio, &c. haec enim omnia in suo conceptu includunt aliquid rationi repugnans. Minor patet, quia quod in conceptu formali continetur, non potest appositione finis extrinseci, vel alterius circumstantiae, tolli.

Aduerte tamen, Multos esse actus, qui etsi per se, id est, solitarie, mali sint; tamen quia non sunt intrinsece mali, sed solum alicuius circumstantiae defectu, possunt appositae circumstantiae fieri boni; vt habere plura beneficia, occidere hominem, capere alienum: tale putabant isti Auctores esse mendacium; sed fallebantur, quia mendacium alia ratione dicitur per se malum; scilicet quia intrinsece malum est.

Dico Secundo, Etsi bona intentio non tollat omnem malitiam actus intrinsece mali, tamen eam minuit. Est communis sententia Doctorum.

Probatur ex D. Augustino lib. contra mendacium cap. 8. *Dicit aliquis, ergo aequandus est fur qui latet ei furi, qui misericordia voluntate furatur; quis hoc dixerit? sed horum duorum non ideo quisquam est bonus, quia peior est vnus; peior est enim, qui concupiscendo; quam qui miserando furatur.* Et infra. *Stuprum grauius est, luxuria, quam misericordia parare.* Simili modo Loth non nihil excusatur a Patribus; quod filias ad stuprum obtulerit; quia id fecit bona intentione; ad grauius incommodum vitandum.

Ratio est. Primo, quia opus malum consideratum vt subest fini honesto, subit quandam honesti speciem, & ex parte tegitur eius turpitude, vt non ita appareat; quod fit, vt quando appetitur, sub imagine honesti appetatur, & consequenter vt eius turpitude sit minus voluntaria; quia quod minus apparet, minusque cognitum est, minus est voluntarium. Adde, fieri posse vt eo modo tegatur turpitude specie finis honesti, vt ab operante non possit aduerti; & tunc nullum est peccatum; quia turpitude nullo modo est voluntaria.

Secundo, Quando opus malum appetitur propter aliquod bonum, magis appetitur illud bonum,

Bona intentio non semper excusat electionem.

Eccles. 34.

Rom. 3.

D. Augustinus.

Intrinseca mala nullo sine vel modo bona fieri possunt.

Mendacium est intrinsece malum.

90

Bona intentio minuit malitiam.

Ex Augustino.

Qui succurrit vt det eleemosynam.

Loth exponens filias vitandum.

Prob. Ratione.

Quia se tegitur turpitude.

Et magis appetitur bonum quam malum.

bonum, quàm opus malum; ac proinde ipsum opus minus appetitur, quàm si propter se, suamque commoditatem appeteretur; & consequenter est minus peccatum: quod enim est minus voluntarium, ceteris paribus est minus peccatum. Itaque tota ratio, cur sit minus peccatum, est, quia est minus voluntarium: est autem minus voluntarium, tum quia malitia minus apparet; tum quia opus non propter se, sed propter aliud appetitur.

93
Solutur
obiectiones.
Matth. 6.
Obijcitur Primò, Matth. 6. *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus lucidum erit, id est, si intentio recta fuerit, omnia opera, quæ secundum eam operaris, bona erunt;* vt exponit D. Augustinus lib. 2. de Sermonibus Domini in monte, cap. 21.

Respondeo, Dominum ibi loqui de hypocritis, quorum opera secundum se erant bona, & solum ipsis deerat bona intentio. Si autem sententiam illam generatim velimus accipere, & per corpus cum Diuo Augustino intelligamus opera externa; solum de operibus non malis accipienda est; vt colligitur ex eodem D. August. libro contra mendacium cap. 7.

Ex August.
Obijcitur Secundò, Ex D. Augustino lib. 50: homiliarum hom. 7. *Si quis cogitet bonum esse furari à diuitibus auaris, vt det pauperibus, talis cogitatio est à diabolo: quod probat; Nam si totum tribuat pauperibus, quod abstulerat, addit potius peccatū, quàm minuat.*

Respondeo, D. Augustinus comparat eum qui dat eleemosynam ex furto, eoque modo se redimit impotentem ad restituendum, cum eo qui rem furto sublatam conseruat, & potestatem restituendi retinet; hic enim minus peccat, quàm ille: cum hoc tamen consistit, quòd ille qui furatur libidine furandi, plus peccet quàm ille qui affectu eleemosynæ, si cetera sint paria. Sed ibi cetera non sunt paria.

Obijcitur Tertio, Si bona intentio minuit malitiam electionis & operis, v. g. mendacij; ergo melior intentio magis minuet: ergo poterit dari tam bona intentio, vt penitus tollat malitiam mendacij. Patet consequentia, Quia cum hæc malitia finita sit, detractione tandem cōsumetur.

Malitia
non potest
penitus
tollī.

Respondeo Negando secundam consequentiam, Simile est in continuo; sicut enim quantitas continua numquam detractione partium absumitur, quamdiu manet in ea ratio quantitatis; sic malitia operis numquam absumitur, quamdiu manet in ea ratio voluntarij; vnde etiam si fiat opus intentione optimi finis, qualis est summa gloria Dei, & salus omnium hominum, tamen manet malum. Ad confirmationem consequentiæ; etiam si malitia sit finita, non potest tamen detractione absumi, quamdiu retinet rationem voluntarij, & esse moralis; alioqui si ratio voluntarij tollatur, etiam malitia tollitur.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum quãtitas bonitatis vel malitiae in voluntate, sequatur quantitatem boni vel mali in intentione?

32 Sensus est, Vtrum quando quis vult ali- quod opus propter aliquem finem, illa voli-

tio & operatio volita, sit tam bona vel mala, quàm est intentio finis.

Notandum est, Intentionem tripliciter posse dici meliorem, vel peiorem, quàm sit electio vel operatio exterior: Primò, Ratione obiecti; vt quando quis maius bonum aut malum intendit, quàm sit in opere seu medio, quo intendit illud assequi: vt si des eleemosynam, vt conuertas illum ad fidem; vel vt peruertas ad hæresim. Secundò, Ratione inefficiæ mediij: vt si maius bonum vel malum intendas, quàm reipsa per illud opus possis assequi. Tertio, Ratione perfectionis intensiue: vt quando ardentius aliquid intendis, quàm sit conatus ille, quem postea adhibes. Nunc sit

Intentio
tripliciter
dicitur me-
lior vel
peior,
quàm sit
electio.

Prima Conclusio. Si ratione obiecti spectetur bonitas intentionis, & operis, sæpè fit vt opus non sit tam bonum, quàm est intentio. Idem dicendum de malo. Fit autem hoc duplici modo; Primò, Quia opus non est proportionatum ad finem consequendum; vt si quis ad extruendum templum conferat centum aureos, cum necessaria sint decem millia. Secundò, Quia etsi opus sit secundum se sufficiens, tamen contingit impediri, ne consequatur finem intentum; vt si quis proficiscens Romam ad Iubilæum, impediatur morbo; non assequitur finem, scilicet Indulgentias.

Vbi notandum est, D. Thomam non tantum loqui de bonitate & malitia morali, sed in genere; quia in omni rerum genere verum est opus non æquari intentioni ex parte obiecti, quando non assequitur finem intentum; siue id proueniat, quòd nõ eligatur medium satis efficax, siue quòd in conatu extrinsecus occurrat impedimentum.

Dices, Ergo qui mittit pauperi eleemosynam, quæ in via interceptur, non tantum meretur, quantum si perlata fuisset.

Si eleemo-
syna ad
pauperem
missa, in
via inter-
cipiatur,
an dantis
quid pa-
reat.

Respondeo Negando consequentiam. Quando enim eligitur medium fini commensum, & ex parte voluntatis præstitum est omne id, quod præstari debet; si extrinsecus incidat impedimentum, non ideo minus est meritum. Tamen etiam hoc casu verum est, opus non esse tam bonum ex parte obiecti, quàm sit intentio; quia non assequitur finem intentum, qui est leuamen paupertatis.

Secunda Conclusio, Tota tamen bonitas & malitia intentionis redundat in electionem, & consequenter in opus externum.

Vbi notandum est, id fieri dupliciter. Primò, Quatenus electio intrinsecè est melior, quæ sequitur intentionem melioris finis, & peior, quæ sequitur intentionem peioris finis; cum enim electio accipiat suam speciem ex ordine ad finem intentum, quò finis est melior, hoc quoque ipsa melior est. Secundò, Quatenus intentio se habet vt forma quadam electionis in genere moris; nam electio speciem accipit à fine mediante intentione finis; vnde subest intentioni, sicut materiale formali, in genere moris, & consequenter etiam ipsum opus consequens electionem, subest intentioni: si enim intentio est forma electionis, & electio est forma operis externi, etiam intentio erit instar formæ respectu operis externi: formale enim in genere moris, est id, vnde actus habet esse morale, seu quòd laude sit vel vituperio dignus: actus autem exterior habet esse morale ab iactatione: ergo &c.

Dices,

94
Bonitas &
malitia in-
tentionis
redundat
in electio-
nem, &
opus exter-
num.